

HVjus dissertationis indicem præmisi, exemplo majorum operum Plinii, Solini, Agelliique in his non ludicris usus, ut si totam perlegere pigeat, possint ibi statim uno intuitu, quid tota velim, legere atque invenire, quibus hæc mea, quæ pro Oriente his postremis seculis, nationibusque ac gentibus septentrionalibus scribo, in manus sumere placeat.

P R A E F A T I O.

QUOD jam in Christiano orbe non denis, quinquagesimisque annis, sed centenis, millesimisque nationes nostræ cum Oriente rem habeant, id nisi historiæ temporum ignari negare non possunt. Iam antequam nasceretur Muhammed, vel Christi temporibus, Romani, Itali, Græci, Galli, Hispani, cum Arabibus, Parthis, Mauris, Scythis, Armenis, Ægyptiis, Iberis (multiplicibus, aliisque ab Hispano) Æthiopibus, Indis, Chinensibus, Iaponibus, aut negotia tractarunt, aut bella gesserunt; quæ aliquando latius à bis mille annis ad hæc nostra tempora deducemus, ne homines, qui credunt me de rebus nudiis tertius exortis loqui, habeant, quod contraria summè necessariam illam, omnibusque seculis ac temporibus excultam Orientis Occidentisque, addam fere & Septentrionis mutuam consuetudinem privatim aut publicè sentire quicquam, loqui, aut scribere possint. Hoc omne autem beneficio linguae factum, hodieque aliter fieri non potest. Hinc & illud Lexicorum studium ab illo quoque bis millenorum annorum tempore ad hæc nostra durat. Non dicam jam de Lexicis, quæ nationes gentesve singulæ sibi composuere centena, centenaque suis musis, suo idiomati, sine amore alienorum, sine cura pere-